Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.

Wien, 1800 Seite 1311

Quelle:
Copyright:

Colloquium inter *Discipulum* et *Magistrum* inchoat II. *Libris* constans, qui partim de indigna Praelatorum Ecclesiae vita, partim de nata inde secularis Potestatis in sacra Jura invasione tractant. Autorem primum *Benedictinum* et *Germanum* quidem, et *Erbonem* illum sive *Aribonem* Archiep. *Moguntinum* habebam, donec legerem p. 16. *Sed moderno tempore regnante Heinrico V^to. cum captus ab eo esset dolo detestabili Paschalis papa effuso hac de causa multo sanguine romanorum. ut reconciliaretur sacerdotio imperium. recepit ecclesia libertatis sue privilegium*, cum igitur *Paschalis* anno primum 1099. Papatum adeptus sit; *Aribo* vero jam anno 1031. excesserit, de hoc sermo esse non potest. Progressus ad *Librum* II. ubi Autor adserit, posse ferventibus Ecclesiae calamitatibus dimitti Episcopi officium, p. 30. lego: *Memorabile illud factum Heinrici ratisponensis episcopi quod nostro tempore uidimus non tacemus. Qui dum propinquum sibimet obitum imminere cognoscit. ad cenobialis portum conuolat ordinis. ac sacerdotalis infulas dignitatis monachicis mutat induviis.* &c. Ergo post an. 1155. quo *Henricus* ille Monachum ad S. *Emmerami* induit, scripsit Noster. At saltem *Germanus* fuit? Ne id quidem videtur, si illum audias. Nam postquam, qui se dignitatibus abdicassent, *Lucium* Ep. *Sicolensem*, *Valerium Hippon. Siluanum* Rhetorem, S. *Benedictum*, *Leonem* Abb. *Nonantulanum*, *Arnulfum* Ep. *Metens.* excitasset, ita p. 35. prosequitur: *Preterea uenerabilis uir Farulfus. cum in cisterna apulie ciuitate cathedram episcopalem obtinuisset. hanc reliquit. ac duobus circulis ferreis non parui ponderis pectus uentremque constrinxit quibus affligi fere iam a septennio non cessauit. Vino uel nunquam uel raro utitur. crebris quoque ieiuniis maceratur. Hic tantus uir ad abrenuntiationem episcopatus non me minus hortatus est uerbo quam prouocabat exemplo.* Quis hinc non concluderet, *Italum* fuisse potius et *Episcopum?* Sed adverte, non hic illum suis verbis uti, sed exscribere *Petrum Damiani Opusc.* XIX. quod edit. *Paris.* 1664. T. III. p. 184. f. *de Abdicatione Episcopatus* habetur; qua in re cum Lectoribus non optima fide agit, qui ad solum *Silvani* exemplum praedictum *Petrum* citat, reliqua vero ex semetipso proferre videtur. Itaque cum propter *Erbonem*, tum propter *Henricum Ratisb.* Germanus mihi et S. Benedicti Monachus est, dum aliud docear; nullum enim hactenus vel Autoris vestigium reperi, vel praeclari cetera Opusculi, quod terminatur: *ut cum tempore mortalitatis sue cum martha sollicciti sunt. et turbantur erga plurima. saltem post mortem optimam partem Marie in eterne uite requie percipiant.*

Adscripta sunt a diversa manu Excerpta breviora e *Johanne Chrys. Hieronymo*, *Cypriano*, sed prolixius *Ex libro firmiani lactantii. De duabus uiis*, quod constat Praefatione in L. I. *Divin. Instit.*

usque